113

sapientiam aedificatorem, qui uerba eius iudicat audiat & faciat; & il
lum magistrum maximum in regno celorum appellandum, qui faciat & sic 2
doceat. Docet enim hic ordo doctrinae magistrum ut primum in ipsum in prae
ferat quod docet esse faciendum; si enim uideatur in actu eius quod probabile
sit, promptius recipiatur quod predicat. Adicit enim doctrinae auctori
tatem bona uita doctoris. Unde frequenter discipulis suis dominus salutiferam
& celestem doctrinam adnuntiat, ut quae audiendo percipiunt agen
do custodiant. In primis ergo obseruandum & custodiendum prae
cepit, ut ea caritate qua nos praedilexit nos inuicem diligamus. Sic enim
inquit apostolus firmum & incorruptum caritatis uinculum custo
diatis. Adiecit & dixit: Caritas patiens est, caritas benigna est.
Caritas non emulatur, caritas non inflatur. Docens utique & osten
dens illum posse caritatem tenere, qui sit longanimis & mundus a uermi
culatione liuoris. & alio loco item cum praedicaret & doceret ut homo re
pletus iam gratia spiritus & regeneratione caelesti filius dei factus nihil
nisi & diuina & spiritalia sectetur, ita dicit: Et ego fratres non potui uobis
loqui ut spiritalibus sed ut paruulis in christo; lac uobis potum dedi non escam;
Non dum enim poteratis sed neque adhuc potestis; adhuc enim carna
les estis; quando enim uobis inuidiae & contentiones sunt, nonne carna
les estis & secundum hominem ambulatis? & rursum idem apostolus
prouidenter & salubriter docet dicens: Itaque fratres debitores sumus
non carni ut secundum carnem uiuamus; si enim secundum carnem uiuere
tis moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificetis uiuetis. Quotquot
enim spiritu dei aguntur hi filii sunt dei. Si ergo filii dei esse coepimus accipi
entes spiritum sanctum, & spiritaliter uiuamus; si de terra in celum oculos
eleuauimus, si ad excelsa & diuina repletum deo & christo pectus erigimus,
digna deo & christo agamus, sicut & apostolus exhortatur & dicit: Si ergo re
surrexistis cum christo, quae sursum sunt quaerite, ubi christus est in dextera
dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae in terra; mortui enim estis
& uita uestra abscondita est in christo. Cum christus apparuerit uita uestra

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0231